

10a
D. B. I
AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI

FRIDERICI AVGVSTI
ECLOGAS
ARCHAEOLOGICAS
AD DOLVM
ALEAE VETERIS

PRAESIDE
IO. GVILELMO BERGERO
PROF. PVBL

XIII KL. FEBRVARIAS

A. R. G
∞ 15 CCXII

DISSERENDO EXCVTIET
M. PETRVS ADOLPH. BOYSEN
ASHARIA SAXO

VITEMBERGAE SAXONVM
PRELO KOBERSTEINIANO

AVSPICIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI

FRIDERICI AVGVSTI

ECOLOGAS

ARCHAEOLOGICAS

AD DOLVM

ALBAE VETTERIS

PARS II

IO. GUILLELMO BERGERO

PROF. P. B.

XIII. KL. FEBRUARII

MDCCXII

DISSENT. EXCVLST.

M. PETRVS ADOLPH. BOYSEN

AVGVSTI

PERO KOBERTZLINO



LEMMATA VETERIS VI

ALEAE EIVSDEMQUE FRAVDVLENTAE

I

Late patet Alea, et amplissima notione cum omne incertum, tum cuncta ludorum genera continet, quae maxime in casu fortunaque versantur. hi enim ludi solent ab eis distingui, in quibus prudentia et consilium, aut corporis robur, atque agilitas plus valet. in quam sententiam plura exponunt iuris interpretes, exquisitiori praesertim doctrina, cum Tit. V n. de Aleatoribus, et Tit. XLIII Code Alear. et Alearum lusu, enarrant. *Aleae* uero nominantur ob plura Aleae, hoc est, ambigui, periculosique ludi, genera, quae potissimum fortunae uarietatem, et dubios, incertosque casus sequuntur. ipse quidem docet Imperator, sua hic interesse, ut *res ludicras* ordinet, eas tamen uetari ostendit, quae sint cum ludentium periculo coniunctae. quare *generali lege* cauit, ne ulli liceat *in publicis, uel priuatis domibus, uel locis, ludere, neque in genere, neque in specie*, ut loquitur ipse leg. III. optime βασιλικὰ, et plane. ἡ διάταξις καλοῦσα τὰ παίγνια, καὶ πέντε ὑπεξαρουμένων, ὀρίζεται, καὶ τινὰ ἐπίσημα καὶ τῶν κυβερνήτων ὀλιγέπουσα. Et si uero latius de ludis magni periculi, neque ad excitandam uirtutem, sed ad patrimonium dissipandum, comparatis, loquuntur leges, tamen ad illam propius Aleam respiciunt, qua in tabula ludi, et quae his quidem temporibus esse familiarissima

solebat. quamobrem Graeca iuris interpretatio non solum *παίγνια*, sed etiam, idque in primis, *κοτίσας, κρη κνβευτάς, κνβους, κνβεύειν* promit. Iacobus quoque Cuiacius Aleam interpretatur *tesserarum, talorum, uel scriptorum ludum, turriculam, fritillum*. ad lib. XI, Π. Tit. V. sed turriculam, et fritillum potius *ὄργανα κνβευτικά* dicamus, quae tesseras, et talis iaciendis, seruirent. Summatim, id quod res est, obseruat fere Polydorus Vergilius, et complura alea ludendi genera refert, in lib. II, cap. XIII. haud incite Matthaeus Raderus ad Martialis lib. XIV, Epigramma XV, Laeuinus Torrentius ad Horatium, Carm. lib. II, Od. I. uers. VI, Martinus Antonius Delrius, in Senecae Herculis Furent. pag. CCXLIX

II

Alea uero magis definito, et circumscripto, celebriorique loquendi usu enunciat Tesseras, nec raro Talos. dixit Horatius. *periculosae plenum opus aleae*. Carm. lib. II, Ode I. enarrator Cruquianus exponit *res bellicae, quae sunt plenae periculo. Aleam autem, qui ludus proprie tabularum est, pro belli periculoso labore*. nam, quia in fortuna positus est Aleae lusus, et in utramque partem cadere potest, iccirco, quod anceps et incertum est, aleam dicitur habere. Sed in tabula, quam forum aleatorum apud Tranquillum uocat Augustus, praecipue tesseras, et talis ludi solebat. hinc eleganter Tessera cum Talis certat apud Martialem, lib. XIV, Epig. XV.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit

Maiores, quam talis, alea saepe mihi.

In commentariis reconditarum notionum, quae Glossae nomi-

nominantur. *κῶβος*. *Tessera Alea*. quare aleatores, cum male audirent, Tesserarii malebant dici, ab eo Aleae instrumento, quo creberrime solebant uti. Gl. *κῶβικός*. *Tesserarius*. A. Gellius. *κῶβος* est figura ex omni latere quadrata, quales sunt, inquit M. Varro, tesseræ, quibus in alveo luditur. ex quo ipsæ quoque appellatae *κῶβος*. lib. I, cap. XX. et Franciscus Robortellus ad Catullum, Epigr. LXII. De Talis, confirmat Plautus, Curc. Act. II, Sc. III, vers. LXXV. illustri quoque exemplo Tranquillus. nam cum dixisset, Augustum Aleae rumorem nullo modo expavisse, ostendit, eum lusisse talis, ut ipse scribit Augustus, *iactatis*. cap. LXXI. talis crebrius lusum fuisse, prodit etiam M. Cicero, cum *talos et tesseræ* coniungit, et senibus ex *lusionibus multis* vult relinquere. de Senect. cap. XVI. Gl. *ἀσράγαλος*. *Talus*. erant autem Tali officula, bifulcis animalibus exempta, ut auctor est Plinius lib. XI, cap. XLV. his vel ueris, vel ex ebo- re, argento, auro, ad illorum similitudinem factis, ludi solebat. ac talis quidem quatuor, tesseris autem tribus, ut tradunt eruditi ad Martialem, Lib. XIV, Ep. XV. nec uero nomine tantum, sed etiam forma, situ, numero, ornatu, et iactu, a tesseris differre Talos, secus ac multi credant, tradit scienter, atque ex instituto, Del- rius, ad Senecam pag. CCXLII, et CCXLIII. addatur Philipp. Beroaldus ad Propert. lib. II, Eleg. XXIV. aliquando tamen usu scriptorum cum tesseris misceri Ta- los, constat, idemque iam animaduertit. De ipsis quidem Talis nolumus afferre, quae dixerunt iam, Alex. ab Ale- xandro Gen. Dier. lib. III, cap. XXI. Coel. Calcagninus, libro singulari, C. Rhodiginus lib. IV, cap. XI. lib. XX, cap. XXVII, A. Turnebus Aduers. lib. XVIII, cap. XII, lib.

DE FRAUDE ALEAE

lib. XXVII, cap. III. A. Iunius Animad. lib. II, cap. IV, Dan. Souterius in Palamede, Iulius Caesar. Bulengerus cap. LVIII, de Lud. vet. Io. Meursius de Ludis Graecor. Andreas Senflebicus de Alea ueterum, cap. IV, aliique. quos quidem capitulatim nominamus; ut eadem opera Tesserarum ratio cognoscatur, quam illi fere communiter exponunt. Ceteroqui, quod nostra refert, in dissimili Tesserarum, Talorumque lusu similis, et par antiquitus fraus cognita est, quod utraque Alea fortunae arbitrio regebatur illa quidem, sed ipse casus ueteratorum calliditate artificioque saepe multumque superabatur

III

Accedit huc ludicri genus, fieri solitum tesseris et calculis, in tabula, lineis distincta pluribus, per quas calculi, ad tesserarum iactum, mouebantur. Ipsa quidem Tabula lusoria scite apud Martialem lib. XIV, Epigr. XVII

Hic mihi bis sereno numeratur tessera puncto,

Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Tabulam, quae diu latuit incognita in Thesauro Gruteriano, exprimit, et acutius illustrat, Claudius Salmasius eo, quem dicemus, loco. Quod quidem ludicrum Graeci uocant *πετρίαν*, etiam insigniori nota, *κυβείαν*, a partibus, e quibus componi solebat. Eustathius. *ἰστέον δὲ, ὡς πῶς μὲν, ἐν μέρους, κύβος ἔλη διάθεσις παιδιᾶς. πῶς δὲ πρῶτος.* Hesychius tamen *πετρίαν*, et *κυβείαν* distinguit, alii etiam, atque in his Aristoteles lib. I Rhetor. cap. XI. P. Victorius *κυβείαν* exponit aleae ludum, infamem etiam

iam Romanis hominibus, *πετρίαν* autem, tesserarum multo honestiorem, quod in alea cubi iaciuntur, in tesseri calculi ipsi commoueantur, atque ex alia in aliam sedem transferantur. differunt igitur ei cubi, et tesserae, quas esse *πετρίδος* putat. At enim tesserae sunt ipsi *κύβοι* Gl. *Tessera*. *κύβος*. *βόλια*. *βόλος*. *κύβος*. Gl. aliae. *κύβος*. *Tessera*. *Alea*. alioqui *πετρίον* Critici Graeci, in his Eustathius, etiam *ψήφον* interpretantur. Multa hic, neque id inficior, impedita sunt et subobscura, satius tamen uideatur, ut lusionem hic aliam simplicem, aliam coniunctam, agnoscamus. Simplex est, cum uel tesserae iaciuntur sine calculis, uel calculi sine tesseri cientur. hac mente Hesychius. *ὦ ἢ μὲν γὰρ τοὺς κύβους ἀναρῆσιπλοῦσιν. ὦ ἢ τῇ πετρίᾳ αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινῶσι.* Coniuncta, cum tesserae iaciuntur, et calculi in alueo simul mouentur. Simplex lusio tum ualeat fere, cum *κυβεία* et *πετρία* simul, uerum notione distincta, extant. coniuncta tum saepe, cum alterutra uox separatim effertur. Atque hoc quidem genus lusionis conflatum illa uidetur in primis Alea eximie dicta, quam et Tesseras, sed neque a cubis, neque a calculis, seiunctas, Tabulam etiam, duodecim scripta, uocant Latini. Haec ista est Alea, quam explicat, et coarguit uenustus ille cento Virgilianus, crebriori ludendi consuetudine trita, atque ob profusam libidinem, detrimentumque inde captum, lege uetita, et sententia quadam praecipua saepius intelligenda. Otiosi fere, securique hic sunt interpretes, aut ingenii aleam infeliciter iaciunt, neque hi saepenumero e multis, quos acrius, multoque doctrinae apparatu, et studio, castigat Claudius Salmasius, aliqua tamen ne ipse quidem satis uel constanter, uel aperte

DE FRAUDE ALEAE

per te et integre, tradit, ad Vopifci Proculum cap. XIII. quare laudatur iuxta, ac corrigitur, a viro acerrimi ingenii, Io. Frederico Gronouio, praestantissimo, et principe, pecuniae ueteris explanatore, lib. III, cap. XV. Nos quidem cum hic potiora, atque in crebriori usu posita, quaedam ueteris Aleae genera strictim attingamus, satis habemus. si doceamus, hanc quoque, quam mixtam dixerit quispiam, Aleam non solum fortunae, sed etiam arti patuisse, tantoque plus loci et facultatis ad fallacias intendendas praebuisse

IV

Dolum, et *circumventionem* Aleae exprobrat Iustinianus leg. I, Cod. de Aleat. iterum, et rei conuenientissime, *dolum*, et *callidas machinationes*, leg. III. Graeci singulari notione *κωβείαν* uocant. Suidas. *κωβεία*. *πανουργία* Gl. *πανουργία*. *Astucia*. *Calliditas*. *Versutia*. *Vastu*. leg. *Astu*. *πανουργίας*. *praestigiis*. *πανούργως*. *Fraudulenter*. *su-stellose*. *nequiter*. Photius, si tamen hic est, *ἀνένδοτος*. *πανούργος*. *ὁ πάντα ἐν πονηρίᾳ ἐργαζόμενος*. λέγεται ἢ καὶ ὁ πάνυ φρόνιμος, καὶ ὁ πάντα ἑπιτάμενος. non aliter Suidas, qui obseruat ex Aristophane, id nominis pessime apud Atticos audire. *ἐπὶ σφοδραῖς βλασφημίαις*. Addit Hesychius. *πάντα μανθάνων δόλιος*. Collatis his Criticorum cum Imperatoris sententia iudiciis, illa relinquitur Aleae ueteratoriae solertia, quae fit ad circumueniendum, doloque, et malis artibus, fallendum, uaserrima, praestigiis erudita et subdola, prauitate nequitiaque animi et nata, et alta, et stipata, in agendo non remissa, agilitate promta, fraudis, prudentiae opinione occultanda,

dae, perita, sed ingeniose nequam, atque ad homines, bonis fortunisque euertendos, composita, et perditio profligatque moris exemplo, ac sceleris conscientia, inuisa

V

Ac fraudis quidem ipsius machinatio, *Talos componere*, et *talos compositos mittere*, est Martiali, lib. XIV, Epigr. XVI. Isidorus uocat *iactum tesserarum componere*, Orig. lib. XVIII, cap. LXVI. Graecis est *κακουργεῖν τὸν κύβον*. Vtebatur autem hic dolus ea opportunitate atque habilitate componendi digitis talos, ac tesseras, ut utrumque genus arbitrato fere caderet aleatoris, arte iacientis. qua arte ne nostrae quidem aetatis improbitas uacat. Atque hoc, *nequiore talo ludere*, dixit idem Martialis, hoc est, talum ea nequitia artis iacere, ut alii dolo circumueniantur. hi tali tanta fraude uersabantur, ut in consuetudinem prouerbii abiret. *ἔρκοις ἄνδρας, ἀσραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατητέον*. ubi non iniuria *παῖδες* exponuntur etiam *ἠθικῶς*, hoc est ii, quibus est *simplicitas damnosa*, ut ait ille. ceteroqui uox quoque est Lyfandri, ap. Plutarch. Apophth. p. CCXXIX

VI

Quare fraudi remedium quaesitum, paratumque est. Sunt enim hi, qui sola fallaci manu bolos iactarent, iactumque fallerent, distinguendi ab iis, qui fritillo, pyrgoque uterentur. illi, talis manu structis et compositis, fraudem faciebant, hi non perinde, cum talis, in fritillo uersatis, et per pyrgum uolutatis, plus fortunae et casus relinqueretur, quam artis. hinc *ἀλάστοι*. Suidas. *εἰκόασιν ἀνομάσθαι οἱ ἀλάστοι ὅτι τὸ κινεῖσθαι καὶ διασεῖσθαι πρότερον. εἶτα ἐάλλεσθαι. ἵνα ἀνακούργησι μάλιστα ὧσιν.*

B

ἄσιν. atque ita Etymologicum M. Scholiaſtes tamen MS. in Aefchinem ad delectationem, uoluptatemque, quae ex ſono percipiatur, refert. ἵνα ἀφιέμενοι ἤχόν τινα ἀποτελάσῃ κτ' ἐτέρῃ ἐν τῇ παιδιᾷ. οὗτοι λέγονται διάσεισοι. ſic purgari poterat Dionyf. Lambinus, qui talos ſonoros reddidit, hoc nomine a Caſaubono reprehenuſus. At, quamuis huius rei non unus eſſe finis queat, tamen, cum potior, ex aliorum ſententia, fuerit ratio fraudis euitandae, talos illos potius agitatoſ et concuſſoſ intelligimus, qui, mota prius agitataque manu, adhibita etiam fritilli agitatione, iacerentur. If. Caſaubonus, id quod res eſt, exponit, et Siphnios taloſ, ac Dōrcadioſ, illoſ uulgo, hoſ lautioribuſ, et opulentioribuſ, in uſu poſitoſ, recte diſtinguit. ad Theophr. Char. pag. CLXVIII. nihil tamen ambigam, quin διάσεισοι pari iure, a pari agitatione, et tali, et teſſerae dicantur, quod, contra Caſaubonum, tuentur MSS. Pollucis lib. X, cap. XXXI. Fritillus Iuuenaliſ explanatori ueteri *pyxis cornea. qui ſimus (Φιμός) dicitur Graecae. Nam apud antiquoſ, ut ait, in cornu mittebant teſſeraſ, mouenteſque fundebant. aut fritillum, pyrgum dixit.* ad Sat. XIV, uerſ. V. quod nobiſ quidem uidetur dixiſſe, non quo, ſua quidē ſententia, nihil a fritillo diſferre pyrgum, doceat, ſed, ut oſtendat, Poetae licuiſſe, numeri cauſa, ὄργανα κνβευτικὰ, et eiufdem aleae inſtrumenta, inter ſe permutare. Φιμόν autem dixiſſe uidetur, quod, ubi ſine pyrgo adhibebatur Fritillus, utriuſque nomen occuparet. niſi forſan eſt gloſſema interpretiſ alieni. haec quidem ſcholia non inique ſuſpecta ſunt Th Dempſtero, ad Roſin pag. CLXXXVI, qui tamen de Pyrgo, et Fritillo minus diſtincte tradit. Gl. *fritillum*

lum πωζις. apte quoque Graeci dicunt γηφύβωλον, ab officio, et sine, quod adhibebatur, ut ex eo tali, et tesserae iacerentur. tribuit autem hoc Tabulae Palamedae, atque a Pyrgo distinguit Io. Malala, lib. V, pag. CXXIX. quo usi postea videntur Suidas, Cedrenus, atque Isac. Porphyrogenneta. Erat igitur propria notione Fritillus pyxis, seu uasculum aleatorium, e cornu, buxo, aut alia materia, manu teneri solitum, e quo tali uersati prius, agitati, et concussi, in Pyrgum iaciebantur. hinc sonare fritilli dicuntur Martiali lib. IV, Epigr. XI, et crepitare Sidonio Apollinari. lib. II, Ep. IX. concussis uidelicet talis, et tesserae, quas κωβους διασεισους appellant Graeci. capiebantur autem, et quatiebantur tesserae, quo uelut classico ad Pyrgum uocari solebant aleatores. uox est Sidonii Apollinaris lib. V, Epist. XVII. de Pyrgo intelligit diligentissimus Io. Sauaro, qui pyrgum fere cum fritillis, ut solent multo plures, ad Sidonium confundit. at malim hoc classico intelligi tesseras, aut sola manu, aut fritillis, quos idem uocat Sauaro, crepitantibus concussas, ut hoc demum indicio ad Pyrgum iretur. At Pyrgum dixit Horatius in lib. I, Sat. VII, u. XVII. ut habent excusi. sed Codd. scripti, iidemque potiores. *Phimum*. hoc uerbum restituit, ex membranis, poetae Gulielmus Canterus, Lect. Nou. lib. VII, cap. VIII. ex fide Codd. probat Iacobus Cruquius, sed mendosam librariorum consuetudinem emendare debebat, neque cum illis scribere *Phimum*. Graece non Φυμός, ut putat ille, sed Φιμός. M. Cicero in lib. XIV, ad Atticum, Ep. V. ab aleatore Φυρμός πολύς, Pithoeus, ex ingenio et coniectura. Φιμός πολύς. Etymologus. Φιμοί, κωβευτικά ὄργανα. Φιμός δὲ τὸ καλούμενον κημος,

DE FRAUDE ALEAE

κημῆς, εἰς ὃν ἐνεβάλουσι. uidelicet, ut a fraude componendi talos caueretur. *Quod* hac notione affert Aeschines in Or. in Timarch. *Orcam* uocat Persius Sat. VI. Martialis, *Turriculam*, in lemmate epigrammatis XVI, lib. XIV. Aufonius, *excisos per caua buxa gradus*. Profess. I, u. XXVIII. Erat autem Pyrgus uasculum aleatorium, in summo apertum, intus scamillis gradibusque excisum, in imo foramen habens, in alueo statui solitum, e quo tali, aut tesserae, uarie resultantes, in tabulam fundebantur. Hoc est Horatio *mittere in phimum talos*. Scholiastes uetus. *in pyrgum, seu fritillum, ex quo agit atae tesserae mittuntur in tabulam. est autem Phimum instrumentum ligneum stricti oris, ex quo coniciuntur tesserae, ne possit falli is, qui cum alio ludit.* hic idem uidetur poetam interpretari, ea quidem notio- nis amplitudine, qua intelligi poeta et poterat, et fere debebat. nam, cum Pyrgum et Fritillum adhiberent lufioni, poterat Pyrgus, aut, si malis, Phimus, Poetica dicendi commutatione, pro alterutro, aut utroque, liberius dici. Parum his in locis praesidii habet, praestanti alioquin ingenio, doctrinaque uir, A. Turnebus. nihil enim inter Turriculam, quam Pyrgum dicunt, et Fritillum, interesse, credit. Aduers. lib. VI, cap. III. Potuit tamen, nisi magnopere fallimur, quantum hic interfit, cognoscere uel ex ipsis, quos hic laudat, Seneca, Martiale, atque Aufonio, diligentius exploratis. Apud Senecam condemnatus Claudius dicitur *alea ludere, percusso fritillo*, sic ut fugientes tesseras, quae fritillo concuti non poterant, quaerat, et nihil proficiat, *subducto uidelicet fundo*. habuit igitur fundum fritillus, quo pertuso, ludebat Claudius, sed, ut fingit Seneca, poenae

poenae causa, ne caperet ex integro aleae lusu voluptatem, qua uiuus maxime ducebatur. alioquin enim fritillus osculo tesseras et recipiebat, et concussas iactatasque reddebat. At Pyrgus, siue Turricula Martialis ita recipiebat talos, ut *per* eam hi demum mitterentur. hoc est, quod dixit Ausonius, *fundere per caua buxa*. hinc *tessera frequens, eboreatis resulatata pyrgorum gradibus*, Sidonio Apollinari, lib. VIII, Ep. XII. uocat *Pyrgos* numero plurium, atque ex ebore fuisse, ostendit. atque ita tesserae non unius materiae fuerunt. apud Petronium. *tabula terebinthina, crystallinae tesserae, pro calculis albis, aut nigris, aurei, argenteique denarii*. itaque Acroni, ut uulgo fertur, *pyrgus est pyxis sine fundo*. quare uir doctissimus frustra se torfit, resque, a scriptoribus his distinctas, miscuit, quia locos, ex his promptos, minus, ut in aduersariorum tumultuaria saepe opera fieri solet, expendit. cautius tamen distinguit e Suida, neque id sine ingenii alea, Adu. lib. XXVII, cap. III. nam labitur rursus, cum, calculos in fritillum mitti, putat, qui demum in tabula dari solebant. quod non difficulter obseruat, sed pari errore Pyrgum cum Fritillo confundit, Andr. Senftelebius, de Al. cap. XI, ubi Turnebum securius castigat. pari modo turriculam et fritillum confundit Alexander ab Alex. illud tamen recte monet, cautum hic fuisse, *ne lusoris manus iactum falleret, et non casu, sed fraude, consisterent tali*, lib. III, cap. XXI. Res ita gerebatur. in medio alueo collocabatur Pyrgus. fumbatur Fritillus. ex hoc tali, huc illic agitati, mittebantur in Pyrgum. illi, per gradus incertos uolutati, excussique, in tabulam procurrebant, iactusque sortem, quam quisque nactus esset, exponebant.

bant. tali modo Aleator talos e fritillo mittit in pyrgum, pyrgus etiam ipse in ora tabulae cernitur, in pictura illa, quam Iacobo Sirmondo probatam, e Calendario ueteri depromit H. Valesius, exquisitus Harporationis explanator, pag. CXCVI. Hic autem, ut in abundantissima doctrina solet fere, adeo fluctuat, anceps incertusque animi, Salmasius, ut scite doceat idem Valesius, illum male $\Psi\eta\Phi\epsilon\beta\alpha\lambda\omicron\nu$ dixisse $\kappa\iota\mu\omicron\nu$, seu $\Phi\iota\mu\omicron\nu$, pyrgi, et fritillum cum pyrgo confudisse. ex quo et si potest existimari, quam impeditum sit hoc antiquitatis exoletae caput, tamen praetereundum non est, eundem Salmasium de rebus, natura usque diuersis, alio loco distinctius egisse. aliter enim exponit in Plin. Exercit. pag. L. Hoc consilio cauebatur fraudi solertis et ingenii, et manus, magisque ingenuus erat lusus, cum alea, sic iacta, munus esset non artis callidae, sed fortunae. Belle, et, in concinna breuitate, explanatus, de Turricula Martialis.

Quaerit compositos manus improba mittere talos?

Si per me misit, nil nisi vota facit.

Cod. Palatinus *quae scit compositos*. scite, et apte. Hic igitur $\mu\epsilon\tau\alpha\nu\omicron\mu\iota\kappa\iota\omicron\varsigma$ coarguitur *manus improba*, atque ad fraudem parata, neque illa sinistra, aut segnis, sed *talos componendi* nara, et studiosa, sed non libera, uerum per turriculam talos missura, eoque fraudem, quam aliqui machinaretur, non factura, nisi *uoto*, ut talus prospere cadat. Ita uero Graeci tabulae descriptionem instruunt $\Psi\eta\Phi\epsilon\beta\alpha\lambda\omicron\nu$, $\pi\acute{\epsilon}\rho\gamma\omega$, $\kappa\omicron\kappa\iota\omicron\iota\varsigma$, hoc est fritillo, pyrgo, tesseris et talis, uti accepimus ab Ioanne Antiochensi, Suida, et Cedreno. at Epigrammata quaedam Latina una cum pyrgo nominant fritillum. neque ali-

aliter Isidorus Tabulae dat pyrgum, calculos, tesseraf-
que, omiſſa hic fritilli mentione, Orig. lib. XVIII, cap.
LX. Relinquitur, ut coniciamus, luſum antiquitus
ſuiſſe alea cum fritillo, cum plus fraudis timeretur,
aut ſine fritillo, ubi ludicrum ſuſpicionem fraudis uaca-
ret, ſed hoc plus doli fuiſſe, quo maiori ſtudio inſtru-
menta fraudis cohibendae fuerint inuenta

VII

Ac prope eſt, ut credamus, tantam ueteris A-
leae ſolertiam fuiſſe, tam exercitatum hominum calli-
ditatem, tantam circumueniendi peritiam, ut non de-
fuerint fraudulentae, et nefariae, manus, quae aut o-
mnes illas, quas expoluimus, aut pleraſque, cauendi le-
ges arte, aſtuque ſuperarent. ex hac animi ſententia
Isidorus. *iactus tesserarum ita a peritis aleatoribus compo-
nitur, ut afferat, quod uoluerit ſ. quod uoluerint. uolunt*
autem Senionem, qui felix eſt, fugiunt contra Canem,
quia damnum aſfert, et unum ſignificat, ut idem ad-
iungit. Quare Perſius optabat, opinor, id, quod ipſe
aut uiderat, aut audierat, et miratus erat.

Anguſtae collo non fallier Orcae

Nec uero aliter locum hunc exponunt M. Antonius
Delrio, in Herculi. Furent. Senecae, pag. CCXLII,
et Iulius Caefar Bulengerus, de Ludis ueterum, cap.
LIV. hinc uetus Epigramma fraudem Aleae dum
diſſuadet, factam fuiſſe, idque a peritis, oſtendit.

Fraude carete graues. ignari cedite doctis.

Q. quidem Curium rei talariae ſcientiſſimum fuiſſe,
accepimus, quem Caluus in hendecasyllabo *fals pereru-
ditum*

DE FRAUDE ALEAE

ditum dixit. fuit autem homo quaestorius, *aleator*que
notissimus, sed flagitiis atque facinoribus omnibus coo-
 pertus, et, probri gratia, fenatu motus, ac damnatus.
 auctores habeo Asconium Paedian. elegantem Tullii e-
 narratorem, in Toga Cand. pag. LXIX. ap. Ald. et Sal-
 lustium Bell. Catil. cap. XXIII. hinc *alea Curii* male au-
 dit apud Tertullianum, non nisi antiquitatis recondi-
 tae naris et euoluendum, et intelligendum, de pall. in
 extremo fere. *nec te aleator ullus est sapientior.* Plaut.
 Rudent. Act. II, Sc. III. u. XXIX. σοφὸν κυβερτῆν dix-
 erunt ueteres, ut peritiam scientiamque *alea* ludendi
 declararent. Hesychius. ἑπιστήμην γὰρ τινὰ ἐδόκειον. τῷ δὲ
 δεξιῶς χεῖρσιν, ἑπιστημονικῶς ἔργον τὴν περτεσίαν τῆς κυβείας ἐνό-
 μιζον. quod tamen dictum uidetur de perito illo quidem,
 sed infeliciori, aleatore. Contra Diodorum Mega-
 politanum, Theodorum, ludendi arte excellentes,
 in primis Leonem Mitylenaicum ἀήλητον χεῖρ τὴν περ-
 τεσίαν, inuictum plane, affert e Phania, Athenaeus lib. I,
 Deipnosoph. cap. XIV. Hac tamen peritia ad felici-
 tatem iactus uti nouerant, qui poterant id obtinere,
 quod uellent, ut ostendit Isidorus. Haec sunt illa
artis tesserariae arcana, quibus studebant homines falla-
 cissimi, et usque eo solebant efferri, ut in maiori con-
 uiuium, confessuue, ceteris uellent anteferri. hos cal-
 lidissimorum furum greges, *alearia*, eademque ar-
 cta, inter se amicitia deuinctos, insectatur Ammianus
 Marcellinus, lib. XXVIII, cap. IV, nam *artem* quan-
 dam fuisse *tesserariam*, docet idem lib. XIV, cap. VI.
 cui quidem sic a pueris dediti erant, Romani, ut hac ex-
 cellerent plane. haec autem iuncta quodam modo cre-
 debatur Magiae, quia secretioribus quibusdam notis
 disce-

discebatur. Scienter exponit ad Petronium Bourde-
lotius, et, quod dixit ille, *ad tesseram uenire*, interpre-
tatur, crescere inter tesseras, uina, scorta. quod tam-
en alii alio trahunt. Huc aliqui pertinere uiden-
tur *lucra illa magna*, quae exponit Seneca, in Naenia
Claudii, maioris aleatoris, quam Imperatoris.

Caedite moestis pectora palmis,

O Caussidici, uenale genus,

Vosque poetae lugere noui,

Vosque in primis, qui concusso

Magna parastis lucra fritillo

IIIX

Nec uero in solo iactu fraus inerat, sed etiam in
alia quadam Aleae fallacia, cum, quantum tesseris, et
calculis simul, tantum dolis, luderetur. *πεσσειάν*, sicut
ostendimus, uocant Graeci, et, a tesserarum usu,
κυβείαν. Hic autem non solum iactu, sed etiam cal-
culorum positu, res gerebatur. atque illud quidem,
quod maxime opus erat, iactu si non cecidisset, id, quod
ceciderat forte, arte poterat corrigi, uti submonet, ui-
taeque prudentiam hoc corrigendi casus exemplo sa-
pienter instituit, Terentius, Adelph. Act. IV. Sc. VII.
u. XIX. imitatus Platonem, qui sapientis in rebus ad-
uersis animum fingit, eumque docet ex tempore confi-
lium capere, *καὶ ὡς περ ἐν πλώσει κύβων, πρὸς τὰ πεπλωκότα*
τίθεσθαι τὰ αὐτοῦ πειράγματα, ὅπη ὁ λόγος ἐρεῖ βέλτισ' ἂν ἔχειν.
de Repub. lib. X, pag. 10 XIV. nam, ut Platonem
interpretatur Plutarchus, τὸ μὲν βαλεῖν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, τὸ δὲ
προσηκόντως δέχεσθαι τὰ γινόμενα ἐστὶ τῆς τύχης, καὶ νέμειν ἐκά-
στῳ τόπον, ἐν ᾧ καὶ τὸ ὀικεῖον ὡφελήσει μάλιστα, καὶ τὸ ἀβουλήθην
ἡμῖνα

C

DE FRAUDE ALEAE

ἡκιστα λυπήσει τοὺς ἐπιτυγχάνοντας, ἡμέτερον ἔργον εἶναι, ἀν' ἐν-
 Φρονῶμεν. de animi Tranq. pag. CCCCLXVII. Hic
 autem mouebantur calculi, et, prout ferret iactus ra-
 tio, collocabantur, calculi etiam male dati, reduci
 poterant, atque ad corrigendum errorem reuocari. hic
 igitur, ubi bona fide agebatur, id tantum supererat pru-
 dentiae, ut male data corrigerentur, calculique ex tes-
 ferarum iactu scienter ponerentur. dicit hoc Arrianus
 τῷ περὶ ὀλίγου ἐπιμελῶς καὶ τεχνικῶς χρῆσθαι. in Epict. lib. II, cap.
 V. At, cum fraudi, uti diximus, in ipsius fortunam
 iactus multum liceret, plus ei licuisse constat in calculos,
 celerius, et tectius ciendos, traiciendosque, et ueterato-
 rie ex quaestu uersandos. περὶ τοῦ Palamedii, ut ingeniose
 inuentum, tribuit Gorgias rhetor, qua illius causam agit,
 perinde, ac Philostratus, qui περὶ τοῦ uocat οὐράθυμον
 παιδιάν, ἀλλ' ἀγχνόνου τε καὶ εἰσω σπουδῆς. Heroic cap. X.
 n. II. quare plus periculi suberat, ubi fraus ingenio acce-
 debat. Theodoritus. ἴδιον δὲ τῶν κυβευόντων τὸ τῆδε κἀκεῖσε
 μεταφέρειν τὰς ψήφους, καὶ ΠΑΝΟΥΡΓΩΣ τούτο ποιῆν. in
 Epist. ad Ephes. pag. CCCVIII. Io. Chrysofostomus.
 κυβευεῖν λέγονται, οἱ τοῖς περὶ οἷς κεκρημένοι. τοιοῦτοί εἰσιν οἱ
 ΠΑΝΟΥΡΓΟΙ, ἐπειδὴ ἀφελετέρους τινὰς λάθασιν. καὶ γὰρ ἐπένοι
 μεταλίθεασιν, καὶ μεταφέρουσιν ἅπαντα. Homil. XI, ad Ephes.
 pag. 1000XXXI. ed. Sauilianae. ab hoc fonte riulos duxit
 Theophylactus, pag. 1000XXXVII. hic autem docet Chryso-
 stomus fraudem ueteratorum, qui callida, dissimulataque
 calculorum traiectione, et tralatione, incautiores capi-
 piant, et frustrantur. nam, quae τροπικῶς dixerat diui-
 nus Paullus, ex antiquitatis memoria, cum suorum con-
 suetudine temporum collata, uiri non maiori sanctita-
 te, quam doctrina, explicabant. sed haec ipsa sunt in-
 dicio,

dicio, quanta in mouendis, traiciendis, transferendis, permutandisque, et conuertendis ad fraudem imprudentiorum, calculis dexteritate, arte, fallacia usi sint nequissimi aleatores. Accedunt igitur hi dolo fallaciaque tractandi calculos ad ψηφοπαίκτας, quorum scholis si non sunt alti atque eruditi, artificio certe, sed longe peius, utuntur. Ψηφοκλέπτας et ψηφολόγους uocant. Gl. Praestigiator. Ψηφοπαίκτης. Ψηφοπαίξια. praestigiae. Suidas. Ψηφολόγοι εἰσὶν οἱ ψηφοπαίκται. Ψηφολογικοὶ γούν, οἱ πλανῶντες καὶ ἀπατώντες, ὡσπερ οἱ ψηφολόγοι τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶ τάχει τῆς μετὰθέσεως τῶν ψήφων ἀπατώντες συναρπάσουσι. Hos meminerunt Sextus Empiricus lib. II. Hypotypof. Artemidorus, lib. III, Gregorius Nazianzenus, eiusque Scholiastes, et scienter aduocat ad explanationem Athenaei, neque Natali, neque Dalechampion, intellecti, Isaacus Casaubonus lib. I, Animadu. cap. XV. Ista quidem praestigiatorum acetabula, et calculi, tum sine noxa decipiunt, cum solius artis specimen dant, in iisque fallacia ipsa delectat, ut ait Seneca Epist. XLV. At, cum fraudulenta ista alea praestigiarum esset plena, existimari minus oportet, istos quoque tam peritos, et ipsa rei scientia ad defraudandi consilium allici solitos, aleatores, ubi tempus rei gerendae nacti fuerint, hac arte, quam ad delectandum afferebant, quaestui suo defuisse, qui securiore in speciem nomine, non animo, aut arte, uterentur, tantoque occultius, et facilius, incautiores uel ipsa fraudis dissimulatione frustrarentur. nam uetus dictum est. *Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior.* Solet hoc P. Syri mimis subiici, et antiquitus notum, uulgiue usu tritum fuisse, ex Ioanne Sarisberienfi perspiciamus,

DE FRAUDE ALEAE

de Nugis Curialium cap. XI, lib. IIX. Nostra refert, ut hic admoneamur, nihilo melius apud Graecos, ac Latinos, audisse uersutos aleatores, eosque uideri nomine potius, quam re, tempore magis, quam animo studioque, a praestigiatoribus differre. hinc rationem iuris, subtilibus commentis, malitiosaque calumnia peruertendi, *ψηφοπακλίειν* scite dixit Lyfias, auctore Iulio Polluce. quod nec proprie magis, nec facilius, quam in Alea, fieri potest, illa quidem *ευστροφία τῶν χειρῶν, καὶ τῶ τάχει τῆς κάμψως τῶν δακτύλων*, ut explicat Scholiafles Gregorii, hoc est, fallaci manuum digitorumque agilitate, et astuta calculorum traiectione ac permutatione

IX

Fraudi finus tempori, si cunctas Aleatorum fraudes, aut indagare, aut persequi, statuamus. Satis est, nullum fallaciae deterrimae genus inueniri posse, quod alienum fuerit ab instituto horum, de quibus loquimur, Aleatorum. namque hi siue gulae, et uoluptati perfruendae, quaerent opes, siue thesauris cumulandis, expilandisque aliis, studerent, omni ratione, totaque mente, in quaestu capiendo uersabantur. itaque nullam non dedecoris, atque iniquitatis culpam, fordidi lucri studio corrupti, suscipiebant. Philosophus uocat *αἰσχροχερδείς*, lib. IV Nicomach. cap. I. Exponit autem duo illiberalium genera, quorum alteri deficiant in dando, alteri modum in accipiendo excedant. posteriori quidem generi attribuit Aleatores, et cum iis, qui noctu despoliant obuios, latronibusque, coniungit, quod

quod communiter lucri causa negotientur, et probra
 sustineant, speciatim uero aleatores ipsam quoque a-
 micitiam quaestui habeant, atque ab amicis, quibus da-
 re oporteat, lucra capent. planius id, quod res est,
 exponit, praestantissimus Aristotelis interpret, Andro-
 nicus Rhodius, lib. IV, cap. II. Quare cum isti homi-
 nes, libidine deprauati, hoc potissimum consilio eant
 in aleam, non tam casu euentuque ambiguam, quam
 astu et nequitia fallacem, ut per fraudem ac dolum ca-
 piant quaestum, omnesque honestatis et aequitatis le-
 ges peruertant, auaritia certe laborant, eademque com-
 posita, quando habendi lucrandique cupiditatem
 cum ipsa iniustitia coniungunt. atque hi quidem prae-
 cipue isti sunt Aleatores, quos accusant leges, et no-
 tant, conuictosque quadrupli damnant, si audiamus
 aliquos, quibus dicti quoque sunt quadruplatores, ta-
 lium reorum, damnataeque aleae accusatores. A-
 sconius in diuin. pag. VI. ubi cum alea pecunia, *gra-
 uioribus usuris foenerata*, coniungitur, et quaestus ini-
 qui multa utrobique indicatur. Proinde, cum a ma-
 gistris ciuilibus quaeritur, ferendine in ciuitate sint A-
 leatores? istos quidem insidiosos, et quaestus fallacia
 periculosos, e reipublicae finibus exterminandos esse,
 in promptu est, non alios perinde, qui lusu aleae, sine
 maleficio, doloque malo, curas relaxent, actumque
 uirtutis sequantur, quam *εὐτεργελίαν* uocat Philosophus
 lib. IV, cap. VIII. distincte, neque inquinata, huc dif-
 ferit, et de Alea plura exprimit, haud inelegans, la-
 boriosusque Aristotelis explanator, Tarquinius Galluti-
 us Sabinus, pag. 1000 xi. At enim quaestus tam illi-
 beralis, et iniqui, studium est ista *ρίζα πάντων τῶν κακῶν*,
 cuius

cuius admonetur Timotheus, I Epist. cap. VI, comm. X. Hesychius. ἀισχροκερδής. ἐπιθυμητής κερδῶν. uidetur deesse, ex lege sententiaque uocis conflatae, κερδῶν. uerum tamen illud haud latius dictum uideri potest, quam pateat ipfius rei, ac uitii libido. namque Aleator, ut fraude quaestum augeat, quantum fidem, honestatem, omnemque officii ac decori rationem, sicut recte existimat Nicomacheae disciplinae magister, extra ingeniialeam positus, repudiat, et contemnit, tantum perditissimis quibusque sceleribus, et flagitiis, indulget. iccirco tam grauem subibant infamiam aleatorii circuli, ut iis mendacia, periuria, rapinae, et furta, crimini darentur. congruenter Isidorus. *ab hac autem arte fraus, et mendacium, atque periurium nunquam abest. postremo et odium, et damna rerum. unde et aliquando, propter haec scelera, interdicta legibus fuit.* Orig. lib. XVIII, cap. LXVII. Ioanni Sarisberienti, in quo plura antiqui aevi uestigia extant, est *mendaciorum, et periuriorum, mater alea*, qui pluribus in hanc inuehitur, eamque aetati suae in uitii ponit, lib. I, cap. V. Longum est, tradere, non ignotum certe, quod Basilius M. et alii ueterum, sanctissimorumque, doctorum in hanc sententiam, castigandi obiurgandique uitii causa, exposuerunt. Est labes quaedam et macula, memoriae, et existimationi Caligulae inusta, nec temere delenda, qui turpi obscenoque quaestu se commaculauit, quod, cum ne ex lusu quidem aleae compendium sperneret, *plus mendacio, atque etiam periurio*, lucrabatur. Tranq. cap. XLI. Aleatorum *furacissimos mores* uocat, atque infectatur ille, qui uulgo, et perperam, nomine Cypriani fertur. neque enim ad multos pertinet exemplum Theodorici,

dorici, regis Gothorum, aut, si hoc in ludendae aleae solertiam cadat quoque, ut callidiores in bonis iactibus taceant, in malis rideant, in neutris irasci soleant, illud deest tamen, ut in utrisque, illius instituto, philosophentur. mores compositos, et sapiente dignos, exponit Sidonius Apoll. lib. I, Ep. II. Contra ea Aleam, remissioni animorum inuentam, ad quaestum minus ingenuum conferebant nocentissimi homines, cum id agerent, ut malis artibus delusos, circumscriptosque, pecunia, ac bonis, existimatione, et, si fieri posset, capite multarent. haud scio, an in meliores inciderit, non meliori certe fortuna usus, Philibertus Arausio-nensis, Caroli V legatus, qui, cum Florentiam obside-ret, cuncta militum stipendia in alea perdidit, reque infecta, abscedere coactus, aliis exemplum cauendi dedit in scriptis reliquit P. Iouius, lib. XXIX. Haec illa sunt *damna aleatoria*, quibus sua comparare commoda student aleatores, et quae dixit M. Cicero, Philipp. II, cap. XVII. haec illa, ut uocat Augustus, *magna detrimenta*, ex quibus praeter spem minus extrahantur multi, atque ille apud Tranquillum, A. cap. LXXI. nam, ut ait uetus Epigramma,

Si quis, habens nummos, uenies, exhibis inanis.

Neque enim ab hominibus, alieni tam appetentibus, expectandum erat quicquam liberalitatis illius, cuius studio in alea uinci, quam uincere, malebat Augustus. Tranq. A. cap. LXXI. quare fraudibus, omniumque flagitiorum societate, et communi nota, inuisum erat Aleae huius nomen. apud Festum Naeuius. *Pessimorum pessime, audax; ganeo, lurco, Aleo.* Eminent ergo hic quoque, et consilium interius, pessimumque explicat, fraus, et
dolus

dolus Aleae, tanto uitiorum comitatu stipatae, quae nihil sanctum, inuiolatumque habet, dum quaestu suo potiatur

X

At enim hoc percommode accidebat ueteratoribus, quod tanto ludendi studio tenebantur alii, quanta defraudandi libidine ipsi ducerentur. nam etsi iam priscis temporibus uetita erat Alea, tamen reprimi magis poterat, quam tolli, et hominum improbitate audaciaque defensa, efferebat sese identidem, neque modum iam habebat. *Legem Talariam* nominat Plautus, Milit. Glorios. Act. II, Sc. II. u. IX. cui legi, dum cauet, ne fraus fiat Periplectomenes, fraudem alias factam fuisse, declarat. Salmasius eos sequitur, qui credant, hic alludi ad legem quampiam, circa illa tempora latam, de lusu talorum, tesserarumque, uetando. Lex Talaria eidem de talis tum recens lata uidetur, quae tamen non diu tenuerit, quemadmodum huius generis leges de rebus leuioribus, et quibus populus studeat, ut facile abrogentur, ita difficulter seruentur. legem quidem talem, ante Salmasium, interpretatur, lib. VI Parerg. A. Alciatus. Et certe hanc legem, si qua fuit, neque potius, ut aliis uisum est, ad legem conuiuii pertinuit, hominum libidine, qua ad ludendum impellebantur, facile uiolatam fuisse, docet illa pubes Horatii, uetita legibus alea, quam aliis rebus, multo doctior, III Carm. Od. XXIV. Legem de Alea fuisse, testatur M. Cicero, addit tamen, tanta Licinium Denticulam fuisse audacia, ut non dubitaret uel in foro
alea

alea ludere, Philipp. II, cap. XXIII. eiusdem condemnati collusorem M. Antonium uocat. Memorantur Titia, Publicia, Cornelia, leges, nec tantum Praetoris edicto, sed etiam S. C. constitutae, et promulgatae. nihil secius nullis legibus coerceri potuisse libidinem Aleae, testimonio est ista perdita flagitiosorum, facinorosorumque, stipatorum cohors, quae sequebatur Catilinam, utpote conflata ex impudicis, adulteris, ganeonibus, et, qui *alea bona patria lacerauerant*, Bell. Catil. cap. XIV. Necdum insequentium memoria temporum inultam fuisse Aleam, leges monent, in Pandectis non recitatae magis, quam commendatae. neque eo secius Io. Chrysofostomus negat, Aleae licentiam puniri. τὸ κυβέειν πάλιν τῆς παρ' αὐτῶν τιμωρίας θεῖν ἐλεύθερον, καὶ οὐδεὶς ὑπὲρ τούτων δίκην ἔδωκε ποτε παρ' ἑκείνοις in I ad Corinth. Homil. XII. quod cum de superiori Quiricium republica dici non possit, cum, Aleae poenam fuisse sancitam, constet, ad illius aevi, quo uixit ille, licentiam, ipsis legibus spretis, ludendi non dubitem referre. nec uero nobis auctor opus est, cum in promptu sit, locuples et idoneus horum temporum testis, Ammianus Marcellinus. tradit autem, cum omnes amicitiae Romae frigescant, *alearias*, ut loquitur, *quasi gloriosis quaesitas sudoribus, sociales esse*, et arcissimo uinculo coniunctas. inde aleatorum greges exponit, non timidos illos, sed arrogantes, artificum suae fiducia adeo elatos, ut grauitate cum Catone Porcio certent, neque in maiori conuiuio *Proconsularibus*, nisi inuitissimi, cedant. lib. XXVIII, cap. IV. idem otiosam, et desidem, plebem Romanam castigat. *omne, inquit, quod uiuunt, uino, et tesseriis impendunt, et lustris, et uoluptatibus,*

DE FRAUDE ALEAE

et spectaculis, huiusque libidinis sedem constituit in Circo maximo. in eodem lib. cap. IV. compara lib. XIV. cap. VI. Apud Sidonium Apollinarem, *inter aleatoriarum uocum competitiones, frequens crepitantium fritillorum, tesserarumque, strepitus* auditur. lib. II, Epist. IX. Idem Sidonii Salonii *atritas tesserarum quondam iactibus* manus uocat, et nobili loco homines aleae plurimum operae his temporibus dedisse, indicat, lib. VIII, Ep. VIII. Quo autem dementiae prolapsa sit aetas postera, plenum auctoritatis testimonium dat Iustinianus, cum ostendit, Orbem Romanum, aleae incommotis usque eo laborantem, ut plurimi bonis omnibus exuti, atque ad inopiam redacti sint, sibi necessitatem imposuisse, tantam hominum uesaniem seueris legibus constringendi, et cohibendi. Hinc alea uere dicitur in Centone Virgiliano, qui de Alea inscribitur, *et furis agitata amor*. Nec uero aliter aleam sobrios inter seria exercuisse priscos Germanos, accepimus, *tanta lucrandi perenditiae temeritate*, ut, cum omnia defecerint, extremo ac nouissimo iactu de libertate, et de corpore, certarint, *uictus uoluntariam seruitutem adierit*. hactenus C. Tacitus, qui hos Germanorum mores expressit cap. XXIV. consimili ratione de Hunnis tradit Ambrosius, quos ait, legibus solutos, aleae solius legibus teneri, in procinctu ludere, tesseras simul et arma portare, et plures suis, quam hostium, ictibus interire. exponit hanc in re praua peruicaciam ille, de Tobia cap. XI. Mira uero hominum insania! quid autem tanta? nimirum praedicant Aleatores, qui semel has elegantis aevi delicias gustauerit, eum quidem bonis cunctis, quam hac animi uoluptate, cuius fatietas neminem capere

pere possit, carere malle. hac dementia fertur Mediolanensis ille, qui, ludendi cupidus, sed aeris inops, cum domum, propter loci solitudinem, et sterile solum, in quo sita erat, uendere non possset, tegulas uendidit, domumque miser pluuiis, et uentis, patefecit. ut hic stultorum plena sunt omnia, sic alius, aleae studio insanus, religiose testamento cauisse fertur, ut, detracta sibi cute, ossibusque cunctis exemptis, ex his tesserae fierent, illa uero, membranisque cunctis, mensa, alueolus, fritilli, quam fieri possset diligentissime, obducerentur. ecquid autem cranii oblitus est stolidus, e quo parari fritillus potuisset? fides sit penes Pascasium lustum, libro ad explorandum Aleae uitium dolumque apto, neque ineleganti, pag. XVIII, et XXV. Nec uero minorem stultitiam ueterum uel opes saepe passae sunt, uel inopia studiumque Aleae tulit, quae tamen exempla non tam conquerenda nobis sunt, quam, ut erubescenda infamiae specimina, ultro repudianda, et obliuione delenda. Hos collusores et optabant, sibi, tanquam cotem fraudis suae, et nanciscebantur facile, ueteratorii iactus magistri. hinc uox illa, ueteribus, ut testatur Epigramma, non ignota.

Ludite securi, quibus aes est semper in arca.

Ad hoc Aleae studium accedebat ardor animi in ipso lusu, auctus non solum spe et fiducia, quae castigatur a Xenophonte lib. VI Histor. Gr. pag. 12 XCIII, sed etiam ira, lucri cupiditate, iurgiis, et rixis, quae huius ludicri uitia scite expressit Naso, harum quoque nequitiarum callidus, usque eruditus, interpres, lib. III de Art. amandi, u. CCCLXXI. recte hic in primis uituperatur ἡ μελάντης ἀργῆς ἐπιε, qua homines, aleae dediti, in ultimam

DE FRAUDE ALEAE

nam calamitatem coniciantur, a pereleganti, et doctissimo, Rhetore, Aristide, *Симел. δευτ.* pag. LIII. quare uel ob illas, quibus aleae libido agitur, atque ad praecipitia conuertitur, animi commotiones, sapienter pronunciat Imperator, *nullam maiorem occasionem de prauandis animi, quam ludum passim immodicum, ad perniciem omnium rerum dari potuisse.* L. ult. Cod. de Religiof. Quibus quidem affecti animis cum essent homines, aleae periculum experti, uis, consilii experts, sua facile mole, suoque impetu, ruebat, Aleatorum astu excepta, et restincta. ex huius enim nequitiae formula bonus aleator non irasci, sed animo moderari, debebat. hinc illud uetus.

Lusori cupido semper grauis exitus instat.

XI

Quos quidem mores coarguunt leges, et animaduersione publica coercent, in primis etiam a Iustiano latae. his enim cauetur, ne Aleae ludendae studium, in licentiam, et dissipandi patrimonii, ac pereundi, perdendique omnia nouissimam libidinem effusum, ac postremo, ut ait Imperator, *abiens in lacrimas*, technis et strophis uaferrimorum aleatorum pateat, et cum dissoluto uiuendi genere, tum priuata hominum calamitate, fortunam publicam corrumpat. nam res eo licentiae, hac quidem aetate, processerat, ut non solum fraudibus, infidiisque, cuncta essent referta, sed etiam plures ui metuque ad profundendas in alea fortunas adigerentur. monimento sunt in primis leges II. de Aleat. et Cod. de Aleat. et Alear. lusu, supra iam laudatae. plures hic, grauiioresque, poenae irrogantur aleatoribus, ipsumque aleae recipiendae, et tolerandae studium

um communi iuris auxilio spoliatur. Has fraudes castigant ueteres, sanctique doctores, Io. Chrysostomus, Theodorus, scriptor libri de Alea, qui falso tribuitur Cypriano, et quotquot aleae ueteris studium, maleficioque explorant. Qua quidem uel seueritate legum, edictorumque, tam ueterum quam recentiorum, uel contentione emendandi hominum corruptelas, docemur, nullo non tempore aleatorum fraudibus cuncta redundasse. hinc Alea iam Horatii aevo *legibus uetita*. Carm. lib. III, Od. XXIV, u. LVII. quorsum, ut diximus, legem *Talariam*, antiquitus nominatam, reuocat, exponitque, A. Alciatus. Submonet autem Poeta, alea ludendi, quam equitandi, uenandique, peritiorum fuisse iuuentutem, ut Aleae fraus, corruptis saeculi moribus innutrita, cum ipsa quidem aetate tum accreuisse uideatur. Quare nomen Aleatorum infame reputatur, leg. XXVI de iniur. leg. fugitiuus n. de uerb. sig. ubi a Tryphonino cum fure, atque adultero, coniungitur Aleator, prope, uti a Philosopho factum est. Aleatorum infamiam huc interpretatur ipse Iac. Cuiacius, Obseru. lib. IX, cap. XXVIII. eodem attinet, quod Aleatori crimini datur a Philippo Beroaldo, in lepido certamine Ebriosi, Scortatoris, atque Aleatoris. Ipsi quidem Aleatores, publico bonorum probro excepti, sui que sibi dedecoris consci, impudentissimi alioquin homines, et maleficientissimi, callide tesserarii maluerunt dici, uel pudore odioque nominis illius, uel aliquando, ac saepius, uti nos quidem existimamus, ut hoc nomine paullo honestiore, minusque inuiso, in speciem honestius, et liberius, fallendi artem factitent. nam tesserarios uocabant non solum eos, qui

DE FRAUDE ALEAE

tefferis luderent, sed illos etiam, qui tefferam, hoc est, praeceptum ducis, per contubernia militum nunciarent, auctor est Fl. Vegetius, lib. II, cap. VII. Verum tamen recte pronunciat Ammianus Marcellinus in lib. XXVIII, cap. IV, et Iacobus Cuiacius, lib. IX. Obseru. cap. XXVIII, aleatores a tefferariis, quantum fures a latronibus, differre. Quare neque posterioribus temporibus institutum uitae probarunt, neque in ueterum monumentis male audire deserunt. Per ignominiam, *impudicus, uorax*, et *aleo* Caesar dicitur apud Catullum, uel ut malunt alii, Mamurra. Epigr. XXIX. alii tamen leg. *bellus*. Vt M. Antonium, quicum implacabile odium susceperat, infamia aspergeret M. Cicero, *aleatorem* nominat in quarto decimo, ad Atticum, Ep. V. Membranae aliquae. *a balneatore*. errore librariorum, uti hic intelligi potest, perfacili, nihilo tamen difficilius emendando. nam friget interpretatio Simonis Boffii, et lectio, sic ex aliis codd. castigata, opinioni, iudicioque illius aevi, moribus Antonii, sententiaeque Tullianae, respondet. nec uero amplius cum P. Victorio quaerimus, quis intelligendus sit, quando eum nobis ipse M. Cicero, optimus sui interpret, instituto uiuendi, ipsoque uocis suae testimonio, demonstrat. namque illius *domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum. totos dies potabatur, atque id locis pluribus. suggeriebantur etiam saepe, non enim semper ipse felix, damna aleatoria*. Philippica II, cap. XXVII. ubi nihilo fecius, atque in aleatorum circulis, lustris, et ganeis, Antonius uersari uideatur. accedit, quod Licinium Denticulam, de alea condemnatum, collusorem suum restituit, ut, quod in alea perdidit, beneficio legis dissolueret, Philipp. II. Cetero-

Ceteroquin alearum usus, ut loquitur Imperator, antiquares est, idemque lusus habetur non illiberalis cum animi, labore fessi, hac uoluptate recreantur. neque uero puduit eius uel sapientissimum quemque, uel maxima auctoritate. ipse quidem Augustus aleae rumorem nullo modo extimuit, luditque *simpliciter*, et palam, oblectamenti causa, *etiam senex, ac praeterquam Decembris mense, aliis quoque festis, profestisque diebus*, ut ait Tranquillus, cap. LXXI. Catonem Uticensem, singulari grauitate uirum, alea luisse, animi laxandi causa, accepimus a Plutarcho, a quo exceperit Al. ab Alexandro, lib. III, cap. XXI. de Scaeuola Val. Maximus, lib. VIII, cap. VIII. in *scurrilibus* uulgo. emendatus. *senilibus*. ut Ian. Rutgersius, II Var. Lect. cap. XII. Senibus enim, ex lusionibus multis, talos relinqui et tesseras, uult Cato ille, de Senect. cap. XVI. M. tamen Cicero, aleae, uti uidetur, infensior, hoc otium ad studia humanitatis recolenda sumere malebat, pro Archia, cap. VI. At enim, ubi in quaestu est, totum iam ludum talarium pro illiberali habet, lib. I, Off. cap. XLII. in quo secutus est, uti diximus, Philosophum, qui nihil melius de aleatoribus sensit, aleae tamen, sed fraudis experti, locum in otio reficiendi animi reliquit. Quantum igitur ueniae dat aleae iucunditas animi, liberalisque uoluptas, qua otium non luxuriosum, aut petulans, oblectatur, tanta ei turpitude callido, insidiosoque, per artes pessimas, defraudandi studio, cum foecordia etiam, luxuria, omnique intemperantia coniuncto, et seueritate legum, dolique mali infamia notato, rursus affertur

XII

Vt inertibus, fraudulentis, quaestuosisque, hominibus uel fallendi circumueniendique libido uel otium ludendi, nunquam deerat, ita nullum temere tempus, ubi res locusque sineret, aleae studio, fallaciisque, uacabat. quare *alea pernox* reprehenditur ab Iuuenali, Sat. X. uers. X, et apud Senecam, Consol. ad Polyb. cap. XXXVI. notantur etiam isti, ac coercentur, qui *substantias perdidierant die, nocteque, ludendo*, leg. *alearum* C. de Aleat. Ludicro tamen huic locum in primis faciebant Saturnalia, quae cum omni hilaritatis genere, tum aleae lusu licentiaque, celebrabantur. Martialis lib. IV, Epigr. XIV.

Dum blanda uagus alea December

incertis sonat hinc, et hinc, fritillis,

Et ludit rota nequiore talo.

nam Saturnalia uirorum Decembri erant, feminarum autem Kl. Martiis, ut recte docet L. Torrentius ad III Horat. Od. VIII. hoc tempore *ius luxuriae publice datum erat, ingenti apparatu sonabant omnia*. Seneca Ep. XVIII, et Macrobius, in primo Saturnal. cap. V. Tranquillus in A. cap. LXXI. uetus Epigramma pag. CXLVIII. Scite autem Martialis duo Aleae genera indicat, alterum fritillis honestius, alterum dolo componendi talos fraudulentum. Hic pro *rota* in quibusdam Codd. *popa*. interprete Iano Grutero, tunc uel popis licuit lufui talorum indulgere. Sed *rotam*, quam nescire se fatetur Gruterus, necdum a quoquam intellectam esse, contendit Laurentius Ramiresius, hic posterior interpretatur coronam aleatorum, a similitudine rotarum sic dictam, quando federe aleatores soliti sint in orbibus,

bus, quos turba cinxerit, corona quadam facta. haud absurde. nisi codicum fide stare malis. sed ita quoque e membranis exprimunt Aldus, aliique legunt. Cicero uocat *turpem in ludo talario confessum*, lib. II, ad Atticum, Epist. XVI. ubi scienter obseruat Isaacus Casaubonus, ludum accipi pro loco, quo conuenire soleant aleatores. Sed minus recte huc interpretatur forum Augusti aleatorium, cum de alueo lusorio loquatur Tranquillus, A. cap. LXXI. Illa uero ratio neque ab aeui ueteris consuetudine abest, neque a moribus nostris, quibus eosdem aleatorum circulos, neque minores in iis nequitias, aliquando uidemus. uti ueteri aleae, alias legibus prohibita, plus in Saturnalibus, ita et huic ludicro hodieque plus in nundinarum solemnibus, licet. ceteroquin hanc licentiam coercerebat Aedilis, cum popinas, fornicesque obiret, et excuteret in ganeis abstrusos, in quibus libido, luxus, alea. latitare, et dominari, solebant. *popinas* has memorat Paulus, leg. XXVI, n. de iniur. sed meminit etiam aedilem Martialis, lib. V, epigr. ultimo, qui *udum aleatorem arcanam e popina rapiebat*, uti loquitur in lib. V, Epigr. LXXXVI. et indicat, aleatores, metu publice prohibitos, clanculum coisse, incautosque, fraudibus captos, argento emunxisse. quare popinas illas, et aleae receptacula, Seneca dixit *loca, aedilem metuentia*, cap. VII de uita beata

XIII

Ab alea profana transeat ad sacram, quae falso credebatur. nam cognitus est ex ueteris aeui memoria singularis talorum in sacris usus, qui, fortis eliciendae, et futura augurandi causa, iaci solebant. *ἀστυγὰς* *λομαντέων* uocant Graeci. nomen attigit Lil. Gregorius Gyraldus, Syntagm. VII, pag. CCXXIX. Talis his locum

E

DE FRAUDE ALEAE

Iocum fuisse in consultationibus, quibus futura explorarentur, docet II. Casaubonus, ad Tranq. Tib. cap. XIV. Tali uero iaci solebant in sacris deorum mensis, ut obseruat Scholiastes Pindari, ex eoque Hadr. Iunius Animadu. lib. II, cap. IV. dixit ante hunc non-nihil Coel. Rhodiginus lib. XX, cap. XXVII. Vberius, id quod res est, Pausanias affert, ubi de specu Herculis Buraici, et ratione fortis, talorum iactu explorandae, exponit. Καταβάλλων δὲ ἐκ βούρας ὡς ἔπι θαλάσσαν, ποταμός τε βουραϊκός ὀνομαζόμενος, ἢ ἡρακλῆς οὐ μέγας ὅστις ἐν σπηλαίῳ ἐπίβλησις μὲν καὶ τούτου βουραϊκός. Μαντείαις δὲ ὑπὸ πίνακί τε καὶ ἀσπραγάλῳ ὅτι λαθεῖν. Ἐυχῆσαι μὲν γὰρ πρὸ τοῦ ἀγάλματος ὁ τῷ θεῷ χρώμενος, ἔπι δὲ τῇ εὐχῇ λαβῶν ἀσπραγάλους (οἱ δὲ ἀφθονοὶ ὡς τῷ ἡρακλεῖ κένυται) τέσσαρας ἀφίησιν ἔπι τῆς τραπέζης. ἔπι δὲ παντὶ ἀσπραγάλῳ χημάλα γεγραμμένα ἐν πίνακι ἔπιτιπδες ἐξήγησιν ἔχει τοῦ χημάλος. hactenus ille sagacissimus, et eruditissimus, et sine quo plurima ne sciremus quidem, antiquitatis Graecae explorator, in Achaicis, lib. VII. pag. 10 x c. nominatim talos meminit, in pompa Ifidis, Apuleius. *gaudio delibuti populares, talos, uerbenas, corollas ferentes.* lib. II. Metam. Nec uero solum Talus, sed etiam Trochus, Rhombus, et Turbo, his profanarum gentium sacris, ab ipsis etiam Basilidianis, adhibebatur. Trochum e Chalcedonio, cum imagine Cynocephali Ifiaci, ex gemmis Abraxeis promit Ioannes Chifletius, eamque gemmam lusorium fuisse, atque ad iactum aleae digitis circumactam, docet cap. VIII. Nouit hunc arcantum, sacrumque, uti persuasum erat gentibus, tali, trochi, rhombi, ac turbinis usum, ille antiquitatis promus condus, Clemens Alexandrinus, et haec, quae uocat, τῆς τελετῆς τὰ ἀρχαῖα σύμβολα demonstrat. sunt autem illa.

A-7-94-

ἀσράγαλος, Σφάϊρα, Στρόβιλος, Μῆλα, Ρόμβος, Εσοπήρον, Πόκοι.
 Sed ita promit haec cuncta, inanis superstitionis instrumenta, ut fraudem hic admissam, et ista Aegyptiorum adyta, tanquam uesanas decipiendi artes hominum sine fide, instructasque ad meram fallaciam, aleae, atque obscurae fortis, officinas, grauius damnet. nam, ut fraudulentae, ac superstitiosae indicium aleae faciat, uocat eleganter *μανικὰ ἀνθρώπων ἀπίτων σοφιστήρια, καὶ πλάνης ἀκράτου κυβευτήρια.* Laudat Eusebius, locumque integrum seruat, de Praeparat. Euangel. lib. II, pag. LXII, LXIV. e quo explendus, et resciciendus est Clemens, uulgo, uel in ipso Codice Mediceo, hic mutilus, parumque integre exscriptus

XIV

Nec uero tam ad hoc inanis superstitionis genus, quam ad praesidium libidinis, improbiusque moris licentiam, referimus Aleam, qua in templis, quaestus studio, ludii solebat. quod quidem fecisse Athenienses, huic ludicro maxime deditos, atque in fanis, in primis Mineruae Sciradis, congregari solitos, auctor est Eustathius, in Odyss. A pag. ∞ cccxcvii. De Scirade Minerua uarie traditur, quam alii et aliunde ducunt, et aliter scribunt. Philochorus a Sciro quodam, uate Eleusinio, Praxion, a Scirone, qui coloniam in Salaminem duxerit, dictam rentur. exponitur in Scholiis Aristophaneis, ad *ἐκκλησιαζ.* pag. 10 cccxv, quod tamen extat idem in Harpocrate, u. *σκίρον.* Nostra pluris interest, Scirum, Atticae locum et uicium, in eoque conditum Mineruae fanum, nomen ipsum a Sciro ductum, memorari. monumento sunt Strabo in nono, pag. 10 ciii, Pausanias lib I, cap. XXXVI, Iulius Pollux, Stephanus Byzantinus, Eustathius. non dissimili ratione Etymologicum M. *Σκίρονος*
 E 2 *Αθη-*

DE FRAUDE ALEAE

Ἀθηνᾶ, εἶδος ἀγάλματος Ἀθηνᾶς. ὀνομάζεται δὲ οὕτως ἕπερ το-
 που τινός. Scirum autem distinctius, ac uelut locum
 omnis impuritatis plenum, et flagitiis contaminatissi-
 mum, describit Stephanus Byzantinus. nam primum,
 in eo meretrices confedisse, et quasi publicum quod-
 dam libidinis domicilium constituisse, ostendit. dein-
 de nihilo secius, ac Suidas ex Theopompo, docet, in
 eum locum conuenire aleatores consueisse. uocat au-
 tem *σκιράφιον*, quod, mutata interdum Codd. scriptura,
 occurrit. apud Pollucem, *Σκιράφια*, *Σκιράφια*, *Σκιραφία*.
 mendosius, *Σκισφία*, *Σκηραφία*, et *Σκηραφία*. sed inquina-
 tissime apud Bulengerum, *σκισφία*. Ac Iulio qui-
 dem Polluci *Σκιράφια* sunt τὰ κυβερήρια, διότι μάλιστα Ἀ-
 θήνησιν ἐκύβευον ὅππῃ Σκίρω ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερῷ. in
 lib. IX, cap. VII. hic quidem duo tradit, primum, *σκι-
 ράφια* fuisse, ubi luderent aleatores, tum, hanc nomi-
 nandi rationem ortam, sumtamque a propria appella-
 tione in Sciro, temploque Mineruae Sciradis, alea lu-
 dendi. idem lib. VII, cap. XXXIII, *σκισφία*, καὶ τὸν *σκισ-
 φεῖην* affert ex Comico, et haec nomina cum turpitu-
 dine aleatorum, scortorum, et meretricum, propius con-
 iungit. Haeret, et animi pendet, in retexenda uocis
 origine, laudatus iam Etymologici artifex, cum *σκισφία*
 uocat τὰ κυβεία, aut, quod ita nominetur instrumen-
 tum aleatorium, aut, quia nomen ab aleatore quodam
 Scirapho ducatur, quem Scironem Harpocratio uocat.
 postremo ei propius cum Polluce conuenit. ἢ ὅτι ἐν τῷ
 τῆς σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερῷ οἱ κυβευταὶ ἔπαιζον. Plane Eustathius
 ait, ab hoc loco alia etiam loca, in quibus forum alea-
 torium calefieret, *σκισφία* fuisse dicta. omitto Hesy-
 chium, qui similiter, generatimque exponit, non praer-
 terita tamen appellandi ratione. Hic autem, quod
 caput

caput rei est, fraudibus cuncta redundabant adeo, ut omnes callidae et uersutae machinationes, a nequitia malisque artibus, hic exerceri solitis, σκίραφοι uocarentur. pergit enim Eustathius. ἐξ ὧν καὶ πάντα τὰ παρουσ-
 γήματα, διὰ τὴν ἐν σκίραφείοις ραδιουργίαν, σκίραφοι ἐκαλοῦντο.
 quare σκίραφῆν Hefychio est κακοπραγμονεῖν. idem.
 σκίραφες, οἱ πρῶτοι, καὶ κυβεύται· hinc σκίραφῆσιν explicat
 Stephanus Byzantinus τὸν ἀπόλαστον, καὶ κυβεύτην, διὰ τῶν
 ἐν σκίραφῳ ἀγλαβόντων. uidetur autem uocis notio lepide,
 et facete ducta a more umbellam, Mineruae sacram,
 festo ritu deferendi ex arce in Scirum, ut non infcite ad
 Pollucem notant eruditi. quasi eadem religione in ae-
 de Mineruae, ludendi causa, uersarentur aleato-
 res, umbellamque Palladis depositam custodirent, qua
 solebat illa ab Eteobutadis deponi. Superest, ut col-
 ligamus, in Sciro cum improbissimorum omnis gene-
 ris hominum sentinam, tum in primis aleae fraudulentae
 infamem officinam, forum, quasiq; asyllum fuisse, quo
 commearent, ludendi ac fallendi, et omnis libidinis
 explendae causa, perditum ac profligatum homines, qui-
 bus Athenis censorum seueritas metuenda esset, ubi
 etiam commorarentur subdoli, et exercitati aleatores,
 aliosque, uoluptatis studio inuitatos, dolo circumueni-
 rent, et fortunam spoliarent. Tempora uero patuisse aleato-
 ribus, nihilo magis mirum est, quam in templis nonnun-
 quam meretrices ipsas habitasse, ut Corinthi, in templo
 Veneris, quod puellas, Veneri sacras, plus mille capiebat,
 auctore Strabone, lib. VIII, et Scholiaste Aristoph. πλούτω.
 p. XVI. Male hic audiunt περιουλαία, in quibus, nulla loci
 religione, multa, indigne licentiusque fiebant, minutulae
 etiam merces, et bellaria uendebantur, adeo, ut ipsae cu-
 pediae apud Athenaeum hoc nomine appellatae Iffaco

DE FRAUDE ALEAE

Casaubono uideantur. De his aleatorum fraudibus, totaque eorum licentia, et consuetudine, plura dicerent Comitorum *κυβερταί*, si extarent. eo quidem indicio admonemur, quantum fuerit aleae studium, quanta licentiae et nequitiae castigandae materia, quam Athenienses in primis praebuisse uidentur, quos, et Siculos, quadam aleae insania laborasse, huiusque artis ludicrae studio eruditos fuisse, et alia docent, et Eustathius, prologo Graeciae ludibundae ueteri scriptore, testatur

XV


Respexit ad ueteris aleae, praesertim Graeciae tanta uel industria, uel nequitia cultae, fraudes Apostolus, quas uel ex Graecorum, praesertim Poetarum, in quibus maxime uersatus erat, literis, uel ex gentis illius consuetudine et studio, uel ex ipsius Sciri, cum Athenas adiret, resque Atticas propius inspiceret, fama, forsitan et conspectu, cognitae, uehementerque improbatas, in memoriam reuocabat. inde tralata, ac recondita, uti solet, sententia pronunciauit, *ἐν κυβέρτα πᾶν αἰ. θρώπων*, ad Ephesios, talium fraudulentorum hominum, in tanta tot aduenarum frequentia, neque ignaros, neque expertes, cap. IV, com. XIV. Quo quidem loco utimur lubentes, ut hic quoque Paullinae *μεγαφορέως, ἢ ἀλλήγορίας*, artificium, quo creberrime, *ἐρησιμῶς πάνυ*, cum ornatisissimis, ac praestantissimis oratoribus certat os tam disertum, oratorque diuinus, et dignitatis plenus, promamus, atque ut inexhaustos eloquentiae, tam retrusae, fontes illis, quibus aut dicendi, aut eruditae antiquitatis studia sordent, hic quoque aperiamus. Principio quidem dicendi genus sumebat a puerulis, qui, rebus leuiculis capti, quo uelis, trahantur. tum a nauibus, quae sine iusto pondere a leui uentorapiantur, et iactentur. postremo a malis aleatorum arti-

artibus, quibus inconfultiores, ludique inscientes, soleant irretiri. Th. Beza. *in hominum alea*, hoc est, incertis illis casibus, quibus homines iactantur. atque ita alii plures, illum secuti. in his ipse G. Calixtus. Cl. Salmasius, a Th. Gatakerō rogatus, exponit actiones hominum temerarias, quae nullo certo consilio explicentur. ad M. Anton. lib. I, p. IX. At dissentit hic doctissimus Britannus, suamque ipse sententiam Salmasius evertit, cum *κυβείαν* hic distinguit a *πανουργία*, illi tamen tribuit artem, sed, quam dicere oportuerat, non solum in disponendis iactibus dextram, uerum etiam in curandis illis ueteratoriam, illam, inquam, qua, in alea ueteri, *πανουργία* propius aestimatur. Verus est dictum, quod alii Lyfandro, alii Philippo, alii Dionysio, tribuunt, ea quidem sententia, pueros talis, uiros iure iurando, circumueniendos esse. atqui memorantur hic Paulo *νήπιιοι*, ibi *πᾶδες*. *ἄνδρες* ibi, hic ii, qui debeant adolere *εἰς ἄνδρα τέλειον*. hic *πανουργία*, et *πλάνη*, ibi *ἐξαπατῆαν*. ibi *ἀσράγαλοι*, hic *κυβεία* quare non alienum est forsā, aleae uerbum uulgo tritum, neque bonis probatum, ab Apostolo emendatum, atque ad Ephesiorum cautionem traductum, fuisse. Paullinae menti conuenienter Theodoritus *κυβείαν* interpretatur *πανουργίαν*. Opportune autem et hic, et Io. Chrysostomus, H. XI ad Eph. et, qui hoc duce solet uti, Theophylactus, atque Oecumenius, intelligunt leuis, prauique, animi doctores, qui cum auditorum religionē ac fide, tanquam cum tesseris, ludant, et ignaros, atque improuidos, uelut in alea, doli mali plena, correptos, ludibrioque disciplinae impulsos, et agitato, a uera doctrina ad falsam, quasi calculos arte uersatos, pro libidine animi huc illuc transferant, atque in eo nequitiam dissimulatione fraudis celent. Clemens Alex. qui proposito animi hic aestimandus est, *κυβείαν ἀνθρώπων* a *πανουργία* nihil

DE FRAUDE ALEAE VETERIS

hil disjungit, alioque uerbo reddit *ματαιοπορίαν*, Strom. I, pag. CCXC, ubi tamen dolum, fallendique artes, minus excludit, cum istos homines paullo ante nominet *ἀπειν ἀγωνιζομένους κὶ δόλῳ, κὶ βία*. intuetur potius simul istorum effecta, quae sint inanis loquentiae, et doctrinae. Exponit enim perditam illorum operam, qui uel eant in studia sectarum, uel Dialecticas captiunculas aucupentur, posthabitoque incorruptae, et solidae, ueritatis studio, ac deceptis hominibus, in docendo laborem frustra, et insidiosae, consumant. Haec est illa, quam nominat Epiphanius, *κωβουλικὴ διδασκαλία*, quae a similitudine exemploque fallacis aleae praestigias hominum mutuatur, et, dum noua, subtilia, ac speciosa magis, quam uera, imprudentibus, delusisque, persuadet, inanibus, friuolisque, rebus operam terit, atque his captionum laqueis irretitos, in fraudem astu improbo inducit. nam Hesychio *σοφιστῆς ἀπ' αἰῶν, διδάσκαλος* ☉, *πανουργ* ☉. belle uero, atque in loco. nam *πανουργίαν* dixit ipse Paullus. *laborem irritum* Claudio, alea apud inferos, pertuso fritillo, ac fugientibus semper tesseriis, ludenti, aleae, cum uiueret, et cupidissimo, et scriptori, affingit Seneca, in Apocoloc. A. autem Gellius captiones, quas *σοφίσματα* nominant Graeci, Aleae comparat, quod illae, ueluti tali, aut tesserae, in medium iaciantur, ad quas diluendas, aut resellendas, ritu aleatorio alii uocentur. Sed aleam quandam festiuam, et honestam, uocat, cum Saturnalibus hic ingenii lusus inter familiares luderetur Athenis, ut simul ostendat, quam turpiter, quae stuose, et fraudulenter, eo tempore alii sint in alea uersati. lib. XVIII cap. XIII. Nos quidem Aleae ueteris fraudes ita miramur, et detestamur, ut eas, pari certe nequitia, aliquando maiori forsan, exercitas, in aetatis nostrae corruptela minime desideremus. Damus igitur hoc interdum Gorgiae, Palamedeae causae patrono, cum *πεσσοῦς* uocat *χολῆς ἀλυπον Δατριβήν*. inter Rhetores Aldinos pag. CLIV. nihilo secius, ac *πεσσοῦς, κούβου τὸ τετραπλὸν δὲ γίγαις ἀκ* ☉ Sophocles quoque appellat. at, siue Palamedes apud Graecos, quod tamen negat, doctissimus huius argumenti enarrator, Thomas Hyde, siue Lydi, quod Herodoto uisum est, commenti sint Aleam, hanc tamen, tot dolis strictam, recte cum Alcidasante nominemus *μέγιστον κακόν. τοῖς μὲν ἡσθηθεῖσι λύπας κὶ ζημίας τοῖς δὲ νικῶσι κατὰ γέλωτα, κὶ ὄνειδος*. in uolum. I Rhetor. Aldin. pag. CLXXX. Prudenter dictum uetus illud.

Sperne lucrum. uersas mentes uesana libido



99 A 6955

ULB Halle

3

002 823 764




5b.


1078

V317

Retrav







10a
D. B. I
AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI

FRIDERICI AVGVSTI
ECLOGAS
ARCHAEOLOGICAS
AD DOLVM
ALEAE VETERIS

PRAESIDE
IO. GVILELMO BERGERO
PROF. PVBL
XIII KL. FEBRVARIAS

A. R. G
∞ 15 CC XII
DISSERENDO EXCVTIET
M. PETRVS ADOLPH. BOYSEN
ASHARIA SAXO

VITEMBERGAE SAXONVM
PRELO KOBERSTEINIANO

